

Petronius Arbiter



Quis vere fuerit, nescimus bene. Multi autem credunt eundem esse hominem, quem Tacitus in Annalium libro XVI (cap. 18 et 19) tamquam virum insolentibus et vitiis et virtutibus praeditum tradidit.

„Proconsul tamen Bithyniae et mox consul vigentem se ac parem negotiis ostendit. Dein revolutus ad vitia, seu vitiorum imitatione, inter paucos familiarium Neroni adsumptus est, **elegantiae arbiter**, dum nihil amoenum et molle adfluentia putat, nisi quod ei Petronius adprobavisset. Unde invidia Tigellini quasi adversus aemulum et scientia voluptatum potioem. Ergo crudelitatem principis, cui ceterae libidines cedebant, adgreditur, amicitiam Scaevini Petronio obiectans, corrupto ad indicium servo ademptaque defensione et maiore parte familiae in vincla rapta. Forte illis diebus Campaniam petiverat Caesar, et Cumas usque progressus Petronius illic attinebatur; nec tulit ultra timoris aut spei moras. Neque tamen praeceps vitam expulit, sed incisas venas, ut libitum, obligatas aperire rursus et adloqui amicos, non per seria aut quibus gloriam constantiae peteret. Audiebatque referentis nihil de immortalitate animae et sapientium placitis, sed levia carmina et facilis versus. Servorum alios largitione, quosdam verberibus adfecit. Inuit epulas, somno indulsit, ut quamquam coacta mors fortuitae similis esset. Ne codicillis quidem, quod plerique pereuntium, Neronem aut Tigellinum aut quem alium potentium adulatus est, sed flagitia principis sub nominibus exoletorum feminarumque et novitatem cuiusque stupri perscripsit atque obsignata misit Neroni. Fregitque anulum ne mox usui esset ad facienda pericula.“ Haec Tacitus.

Neque enim totum opus (c. n. **Satyricon libri**), sed, ut ex codice quodam apparet, quae reliquiae exstant, e libris XV et XVI decerptae sunt: hae tamen compluribus paginis continentur. In quibus **Encolpius** iter narrat, quod cum **Ascilto** et **Gitone** per Campaniam aliasque Magnae Graeciae regiones ita fecerit, ut multa sceleste et flagitiose admitterent. In iis autem, quibus occurrunt, **Eumolpum** quendam poetam videmus, hominem non parvi ingenii, sed mutabilem, scelestum, voluptatum cupidum eundemque poeticae ceterarumque liberalium artium amantem.

Totum opus rebus novis ac miris et inter se repugnantibus abundat. Adde quod Eumolpus ille multa de poetica ac de sano in litteris iudicio sapienter dicit. Tantaque cum libertate vel potius licentia recta cum pravis, turpia cum honestis saepissime hoc in opere misceri videmus, tanta cum securitate et aequabilitate omnia vel foedissima narratur, ut is, qui legit, saepe nesciat vel dubitet quid Petronius voluerit, atque illud queratur, in eo tam acutum quidem, sed tam incompositum atque inconditum fuisse ingenium.

At maioribus sane laudibus illa Satyricon pars est digna, quae **CENA TRIMALCHIONIS** inscribi solet. **Trimalchio** enim, infimo loco ortus (nam libertus fuit), cum ingentes coacervaverit divitias, sed ineptam illam animi rusticitatem minime deposuerit, id contendit, ut convivis admirationem ac stuporem moveat, se affluentem nova et insolenti et gravi et insana luxuria praebendo, cum in aedibus omni ornamento immodico auroque onustis, tum in epulis omni modo atque sano iudicio omisso sumptuosissime apparatis.

Cena Trimalchionis hac etiam de causa dignissima est mentione, quod multa plebei praesertim vulgarisque sermonis in ea invenimus, quae aliter ignoraremus, et tota fere narratio id dicendi genus ostendit, ex quo ipsum multorum illius aetatis hominum sermonem fere auribus audire videris. Praeterea omnes huius operis reliquiae et rebus et verbis et ceteris Latinarum litterarum operibus longe absunt, et cum ex prosa oratione et versibus constet – nam praeter duo poemata alii XXX ferme loci, plus minusve breves, insunt variis versibus scripti – Satirarum Menippearum generi adscribi solent.